

tur. Qualis certe Job ille erat, qualis Joseph, quales justi denique omnes. Quod si multi pe-reunt, propter negligentiam suam id accidit. Nisi enim ita res se haberet, sic propter scan-dala ipsa homines perirent, universi sane ho-mines id paterentur: quoniam vero multi eva-dunt qui non effugit, sibi ipsam culpam attribuat. Nam scandala quidem, ut jam tetigimus, exci-tant etiam atque acuunt, et perspicaciorum faciunt non solum eum, qui sibi diligenter ca-vit; verum etiam eum, qui forte incidit, nam posteaquam se inde eripuerit, cautior atque tutior redditur. Quare si diligentiores sumus, non parvum fructum ea ex re cœpimus, quare vigilare semper compellimur.»

## CONCIO II.

QUAM SIT GRAVE ET PERICULOSUM, PRÆBERE  
SCANDALA.

I. Væ dicitur scandalizantibus ob scandali gravita-tem. — II. Dicuntur eruendi et abjiciendi e com-munitate. — III. Jubentur mergi in mare cum mola asinaria. — IV. Ne scandali occasio detur, nihil non agendum et ferendum.

## THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ne scandalizemini.  
Joan. XVI.

Observarunt viri doctissimi, sacræ Scripturæ interpretes, non unum discrimen inter maledic-tionem, quam pronuntiavit Deus in primos nostros parentes, pessimo serpentis sibilo seduc-tos, et in serpentem, ipsorum seductorem. Im-primis enim: *Neque mulieri* (inquit Rupertus, libro de victoria verbi Dei, cap. XV.) *maledicta es: neque viro, maledictus, dixit; sed tantum hoc: Maledicta terra in opere tuo, etc. Soli serpenti di-xit: Maledictus eris; quo videlicet dicto firma et immutabilis intelligenda est sententia damnationis.* Rursum Procopius in eum locum: *Mirabile, in-quit, vide indicium, deceptos interrogat, decepto-rem non interrogat, sed quasi malum et mali auc-torem, et penitus incorrigibilem, ventique indignum affatur.* Denique, serpens inter tres prævarica-tores, ultimo interrogatus, primus condemna-tur: *Quia fecisti hoc, maledictus eris, etc.* Quid sibi volunt ista? Nimirum interest plurimum inter seductorem, et inter seductos: inter auc-torem scandali et inter scandalizatos. Isti meren-tur pœnam: ille etiam maledictionem. Isti ad judicium citandi sunt: ille vel injudicatus et abs-que processu judicii condemnatus. Isti quidem luent: sed ille omnium primus, qui scandalum præbuit. Audimus in hodierno evangelio, quan-ta dixerit Christus suis discipulis, ne scandala in-currerent; quanta ergo dicturum putamus iis,

qui scandala præbituri sunt? Dixit certe illis se-vera, et terribilia, quæ nunc audiemus.

I. Locutus est Matth. XVIII. Dominus: *Væ au-tem homini per quem scandalum venit.* Gravem esse hanc comminationem indicat particula *væ.* *Væ enim in Scriptura,* inquit S. Gregorius, ho-mil. IX. in Ezechiel. *sæpius de æterno luctu, quam de præsentis solet intelligi:* et S. Chrysostomus, homil. VII. in Genes. *Væ enim hoc, inquit, est quasi lamentantis supplicium illud inexcusabile subituros.* Hinc Isa. XXX. dicitur: *Væ impio in malum:* et Job. X. *Væ mihi si impius fuero.* Ex quo sequitur scandalum datum, si ad lethale pecca-tum inducat, semper esse lethale et gravissi-mum peccatum; quia non unum tantum vul-nerat sed duos semper ad minimum: scandalizatum et scandalizantem, atque hunc multo gravius, quia hic homicida est alterius. Quare teste Climaco gradu vigesimo sexto scalæ para-disi: *Sunt inter immundos spiritus reliquis nequio-res, qui peccatum solos operari nos minime consti-lunt,* (qui scilicet ad scandala danda impellunt) *ut graviore supplicio nos mulctandos parent,* quo modo scilicet periti venatores ad unam avem, v. g. anatem, non statim jaculantur, sed occa-sionem captant, ut duas aut tres uno jaculo mactent. Hujusmodi autem venator Lucifer fuit ab initio, quando cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cœli, Apocal. XII. Quem velut genuinæ proles imitantur; id quod lamentatur S. Bernardus, serm. 1. in septuagesima. « Uti-nam, inquit, sub nos impugnarent maligni spiritus cum suggestionibus suis: et nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasio-nibus importunis, atque aliis mille modis. » Confirmatur hoc ex eo, quod Joan. VIII. Domi-nus dixit: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio.* In quem locum S. Augustinus, tract. XLII. ait: « Homicida dicitur diabolus: non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem ve-nit: verbum malum seminavit et occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades: si fratri tuo mala persuades, occidis: et ut scias quia occidis, audi Psalmum: Filii hominum, den-tes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Occidit dæmon sua suasionem primos nostros parentes, corpore et animo oc-cidit scandalizans, si non corpus, saltem ani-mam, quod longe gravius est, quam si ipsum dæmonem in hominem intruderet ad vexandum illum. Sed quid dico non solum necat hominem, sed ipsum etiam Christum cujus sanguinem de-nuo fundit. Ita scribit S. Bernardus, in sermone de conversione S. Pauli: « Denique, inquit, si proprium sanguinem dedit in pretium redemp-

tionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionem ma-ligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo animas, quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi et expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. « Horrendum penitus sa-crilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrile-gas injecerunt. » Quinetiam talis destruit totum opus Dei, teste apostolo ad Romanos XIV. scri-bente: *Noli propter escam destruere opus Dei;* hominem scilicet scandalizans esse vetita. Qui autem destruit hominem, destruit totum Dei opus, non solum redemptionis sed et creationis; quia propter hominis salutem cœli et universa creata sunt. Destruit, inquam, dum ædificat peccatum. « Scandalum enim non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum, » inquit Tertullianus, lib. de veland. virgin. cap. III. Sanctus Chrysostomus, homil. XXV. in epis-tol. ad Romanos sic exponit: « Salutem fratris vocat divinum ædificium: si ergo ecclesiam des-truere grave est, et scelestum: multo magis si hoc templo spirituali fiat. Augustior enim est homo magisque venerandus quam ecclesia. Non enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter ista Spiritus sancti templa. » Denique, si Phariseis hypocritis, qui occultando sua sce-lera se solos perdebant, adeo minatus, et toties *væ* ingeminat Dominus! quid expectabunt Chris-tiani, si publice libereque peccantes scandalo sint aliis? Quod sane prudenter expendens S. Gregorius Nazianzenus, apologetum I. dixit: *Mihi timor incutitur, cum et Phariseos probris affi-ci, et Scribas redargui video.*

II. Locutus est eodem Matthæi citato capite hæc: *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et projice abs te.* Causam expo-nit S. Chrysostomus, homil. LX. in illum Mat-thæi locum scribens: « Nihil enim, inquit, ita periculosum ac pestiferum, ut consuetudo pra-vorum hominum et conversatio: ideo magna quadam cum vehementia jussit nocentes a no-bis propinquos depellere: eos vero amputandos atque projiciendos esse consequentia ipsa rerum significat, qui scandali auctores sunt. » Qui pestifero laborant vel extinguuntur morbo, sua contagione omnia inficiunt, ideo omnia quæ-cumque ipsi tangunt vel tetigerunt, averruncari ex ædibus et projici vel in aquam vel ignem solent. Pestem igitur esse scandali auctores in-dicat Dominus, dum erui jubet et projici; et quidem in profundum maris, uti addidit: *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et de-mergatur in profundum maris.* Quid commisit

mola asinaria seu lapis molaris, ut eum scan-daloso demergi in mare debeat? Nimirum vide-tur Dominus loqui de homine, qui molam asi-nariam vel gyravit vel tetigit, ideoque non ipse solus, sed una cum mola, quam traxit, demer-gendus in mare dicitur, ne eorum contagio polluantur alii: ut observat ad eum locum S. Ambrosius, serm. X. Quam ob causam apos-tolus scandalosum quemdam et incestuosum fornicarium e communitate ejiciendum, et tra-dendum Satanæ scribit, et mandat Corinthiis; 1. Cor. V. rationem adjungens: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* hoc est, quod unius hominis scandalum omnes alios inficiat: *Expurgate vetus fermentum,* putri-dum istum fornicarium e cœtu vestro ejicite. Hinc etiam Achan, qui suo furto scandalizavit Israel, cum omni domo et suppellectile sua lapi-datus et combustus est, Josue VII. hinc jubet Deus prælo instante ejici de exercitu milites formidolosos, ne corda cæterorum subvertant, et pavore suo imbuant, Deut. XX. hinc Jeroboam, qui erectis aureis vitulis peccare fecit Israel, eversus et deletus est de superficie terræ cum omni domo sua, III. Reg. XIII. Quinimo vide-runt etiam malum hujus contagiosæ pestis gen-tilis, et simili remedio sustulerunt. Etenim Assuerus, cum intellexisset reginam Vasthi, conjugem suam; detrectasse ejus imperium, statim animadvertit cum suis consiliariis fore hanc ejus insolentiam scandalosam toti regno suo. « Egreditur, inquit quidam regis consultor, sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contem-nant viros suos, et dicant: Rex Assuerus jussit, ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvi pendent im-peria maritorum. » Itaque regina mox repu-diata et ab aula expulsa est, Esther 1. Ecce, nec reginæ quidem parcitur a rege gentili, ne mo-dicum fermentum totam massam corrumpat. Videant magistratus christiani, quid Deo res-ponsuri sint, si gravia scandala tolerent. Surge-t Assuerus, surgent ejus consilarii in die judicii et accusabunt illos.

III. Locutus est eodem Matthæi capite in hunc modum: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in pro-fundum maris.* Quibus verbis indicat præstare mori, et quovis diro supplicio e vita exterminari, quam ferre aliquem scandalo: quia mersio est mors corporis solum, scandalum vero datum est mors animæ tam propriæ quam aliorum qui scandalizantur. *Cur hoc dixit,* inquit S. Ber-nardus, epist. VII. ad Adam monachum, *nisi quia significare voluit tam gravia in posterum ma-*

nere tormenta, ut eis comparata mors temporalis nec penalis esse videatur, sed commoda? Quocirca etiam tractatu de interiori domo, cap. XXXV. scribit: *Mori timeo, quia non sum paratus: malo tamen mori, et misericordiae Dei me committere et commendare, quia benignus et misericors est, quam de mea conversatione scandalum facere. Mori igitur vir sanctus maluit, quam aliqui præbere occasionem lapsus in peccatum. Jam si mori, et quidem tam diro supplicio, quale est demersio, extingui præstat, quam scandalum præbere; quid aliud præbenti nisi gehenna expectanda et demersio in infernum? Id sane, ut diximus, indicat væ particula: Væ mundo a scandalis: et rursus Sapiens, Prov. XXII. *Qui seminat iniquitatem, metet mala, et virga iræ suæ consummabitur.* Ubi Beda: *Qui verbo aut exemplo suam iniquitatem in alios spargit messis loco vindictam recipiet.* Messuere hanc Dei vindictam Madianitæ, qui scandalum objecere Hebræis filias suas, ut cum eis et scortarentur et idola venerarentur, quos proinde Deus ad internecionem deleri iussit, (inter quos etiam cæsus est Balaam, scandali illius inventor et incensor, Numer. XXXI.) adeoque temporali et æterno supplicio punivit. Hebræos vero, qui ab illis seducti in scandala incurrerunt, suspendi iussit contra solem, Numer. XXV. non tamen nisi reos: gravior enim pœna debetur seductori, quam seducto « Quandoquidem et serpens, inquit D. Chrysostomus, homil. XXV. in epistola ad Romanos, magis punitus est quam mulier, quemadmodum et mulier plusquam vir, et Jezabel majores pœnas dedit, quam Achab vineæ raptor; ipsa quippe universum istud negotium texuerat, regique lapsus occasionem dederat. Igitur et tu quoque si reliquis perditionis causa fueris, graviora patieris, quam qui per te subversi sunt. Neque enim peccare tantum in se perditionis habet, quantum quod reliqui ad peccandum inducuntur. » Messuit et David hanc Dei vindictam, cui quidem pœnitenti, aliorum peccatorum pœnæ fuerunt remissæ, aut certe mitigatæ, solius scandali reservatæ: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti (scandalo videlicet) inimicos Domini; propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur*, II. Reg. XII. Merito igitur ait Tertullianus, lib. de cultu femin. *Nescio an impune abeat, qui alicui causa fuerit perditionis.* Vult dicere: Non credo talem fore impunem. Scandalizaverat autem David inimicos Dei, qui impii et leves homines culpam in Deum solent ejicere, quando constituit aliquem magistratum, et magnis prosequitur beneficiis, qui tamen graviter delinquat. Certe S. Chrysostomus, in serm. contra concubinos, tom. V. asserit, magis Deum sentire et gravius plectere peccata leviora, quæ cum*

scandalo fiunt, quam graviora quæ neminem lædunt. Idcirco enim vult Moysen et Aaron in deserto morti addictum esse ob leve diffidentiae verbum ad aquas contradictionis, coram populo enuntiatum; cum tamen alias longe graviore diffidentia Deo restitisset Moyses, Numer. XI. et XXI. indicant id verba illa Dei ad Moysen et Aaron: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, etc.* Numer. XX. Hanc etiam ob causam legimus S. Catharinæ Sennensis sororem e medio sublatam, et gravissimas purgatorii pœnas exsolvere coactam fuisse, quod multis precibus sororem ad ornandam faciem impulsisset, ut virginem Christi ad conjugii spem mundique amorem alliceret, apud Raymundum in vita S. Catharinæ Sennensis. Simili modo punitam, filiis, marito, et vita denique orbatam scimus Prætextatam, quod levi et profano cultu virgines Deo sacratas ornasset, e S. Hieronymi epist. ad Lætiam. Sed cur molæ asinariæ appensione demergendum ait Dominus scandali auctorem? Respondet ad hoc Salazar, in cap. III. Prov. ut pœna accommodetur delicto. Nam cum scandalizans ei comparetur, qui lapidem pedi opponit, ut ad ruinam impellat, adversus illum sic Christus: *Melius longe illi esset, quod mola asinaria, id est, lapide ingenti collo appenso, deturbaretur in mare, quam ut scandalo etiam exiguo tamquam parvulo lapillo objecto stilum ad ruinam impelleret.* Aliam præclaram hujus rei causam dat B. Petrus Chrysologus, serm. XXVII. « *Quare lapis molaris, inquit, quia lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundita polline furfurem dum secernit, panem pie laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui elegit minister scandali magis esse, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam, quia sensus ad vitam datos, mortis convertit in scandalum, suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quam erat in Christo; quam in scientia salutari.* » Viderint ergo parentes, qui scandala præbent liberis suis; viderint mulieres, quæ fuco suo decipiunt juvenes, quid supplicii mereantur. Sane Ezechielis XIV. ait Dominus: *Qui scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, ponam faciem meam super hominem in exemplum et in proverbium et disperdam illum de medio populi mei.*

IV. Locutus est Matth. XVII. ad Petrum, curæ didrachma ab eo exactum esset: *Ergo Væri sunt (a tributo) filii; ut autem non scandalizemus eos vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle et aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me et te.*

Ne enim exactores offenderentur quasi Christus vellet se subtrahere a communi lege et subjectione imperatoris, eumque aspernari, voluit in summa rerum penuria piscem e mari evocare, qui pro ipso satisfaceret. « Ex qua re, ait S. Gregorius, homil. VII. in Ezechielem, nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum debemus. » Copiosus S. Basilius, in reg. brevior. interrog. LXIV. « Quotiescumque in iis, quæ ex mandato vel fiunt, vel dicuntur, homines offensionem incurrunt, et in iis scandalizantur (ut in evangelio quidem in his, quæ a Domino ex voluntate Patris fiebant, et dicebantur) enim vero tunc ea in memoriam nobis sunt revocanda, quæ de hujusmodi hominibus idem Dominus responderit, quando illum ardentem discipuli sic allocuti sunt: *Scis quod Pharisæi, audito verbo hoc scandalizati sunt.* Sic enim illis respondit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Sinite eos. Cæci sunt, et duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatur præstet, ambo in foveam cadent. Saneque multa hujusmodi tum in evangelis, tum apud apostolum reperire quis facile possit. Ubi vero in his, quæ posita in potestate nostra sunt, impingit aliquis, scandalizaturve, enim vero tunc veniendum est in memoriam eorum Domini ad Petrum verborum, quando dixit: *Ergo liberi sunt filii: ut autem non scandalizemus eos: vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me et te; et item eorum, quæ apostolus ad Corinthios scribit his verbis: Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem: et in alio loco: Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendantur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* » Hac igitur de causa Deus ipsemet scandala e medio, quantum per ipsum stabat, tollere consuevit: ut in corpore Moysis patet, quod idcirco occulte nemine præsentem sepelivit, et reliquo tempore absconditum esse voluit, ne Judæi, ad idololatriam proni, si id deprehendissent, Moysen colerent, velut numen, Deuteronom. XXXIV. uti sentiunt S. Chrysostomus, homil. 1. in Matthæum, Theodoretus et Procopius. Eodem consilio Ezechias rex confregit serpentem æneum, qui jam quasi divinum aliquid coli a Judæis cœperat, IV. Reg. XVIII. Abraham separavit a Loth, (Genes. XIII.) dans ei optionem eligendi quam vellet regionem, deteriore ipse non gravate accepturus, ne litigium cresceret magis, quod jam ortum erat inter eos. Sed cur cessit senior juniori? Patruus nepoti? Causam insinuat sacer

textus, dum interserit: *Eo autem tempore Chananius et Pherezæus habitabant in illa terra, quasi dicat: Moyses, ne in scandalum gentilibus cederet contentio hæc inter Dei servos et duos propinquos, voluit sopire litem Abraham etiam cum detrimento suo. Qua de causa quoque dixit apostolus, 1. Cor. VI. *Frater cum fratre contendit, et hoc apud infideles?* Præclariora his habemus in lege nova. S. Procopius sub Diocletiano martyr, carbones ignitos manui a iudice impositos, quod cogere vel ex dolore excutere eos in subjectam idoli aram, constanter potius retinere donec carnem absumerent, quam excutere maluit, ne rejectis prunis videretur immolasse cum Christianorum scandalo, apud Surium 8. julii. Ustazenes Persa Saporis regis enuchus et educator christianus, cum vi coactus solem adorasset, et ob hoc a Simeone episcopo acriter reprehensus fuisset, mox pœnitere, et lacrymis errorem suum plangere corrigereque studuit, prodens se Christianum regi et offerens ad martyrium: quod cum ei indicatum esset, in hoc unum incubuit, ut scandalum quod dederat, auferret, ideoque a rege pro omnibus suis obsequiis ipsi tamdiu præstitis nihil aliud gratiæ petiit, quam ut præconis voce pronuntiaretur plecti non ob aliam causam, quam quod Christianus esset, Sur. et Lipel. 21. april. Sed qui tantorum virorum exemplis opus? A brutis discere possumus quam cavendum sit, ne quem offendamus pravo exemplo. Avis dicæa seu justa appellata defodit excrementa sua, ne inveniri queant, quia mortales enecant. teste Æliano, lib. IV. de animal. serpens e pellucido fonte non bibit, priusquam totum, quo turget, venenum effundat, ne fontem inficiat, ex quo animalia cum biberint enecentur, uti passim auctores scribunt. Et videtur eo respexisse Dominus, cum Matth. X. dixit: *Estote prudentes sicut serpentes.* Quid agat igitur Christianus, ne pravis suis affectibus offendiculo sit aliis? Videat, videat ut hanc potius serpentis imitetur naturam, quam maledicti illius et a dæmone possessi nequitiam et pestiferam suggestionem, qua in lapsum impegit primos parentes nostros, unaque omnes nos, ne alioquin incurrat in eandem aut similem maledictionem, qualem ille audiit: quod a nobis procul avertat Deus super omnia benedictus.*

## CONCIO III.

CUR MALI PERSEQUUNTUR ET ODIUM HABENT BONOS.

I. Quia in moribus sunt eis dissimiles. — II. Quia boni malos arguunt. — III. Quia vident eos a Deo amari. — IV. Quia vident se cum bonis suis terrenis despicere ab illis.

## THEMA.

Venit hora, ut omnis, qui interfecit nos, arbitretur se obsequium præstare Deo, Joan. XVI.

Bene cum hœlierno consonat evangelio, quod Matth. X. dixit Christus Dominus ad discipulos suos: *Eccœ ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Ut enim oves inter lupos nihil aliud expectare possunt, quàm suam necem et lanienam, ita et apostoli in perverso mundo nihil aliud nisi gladium et persecutionem poterant sperare. Sapienter Ecclesiast. c. XIII. dixit: *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo, q. d. nunquam hoc sperandum.* Non caret tamen hoc admiratione. Quid enim nocet agnus lupo: quid justus peccatori, ut eorum odia et persecutionem sustinere debeant? De lupis quidem non mirandum: quia in ovibus quærunt pabulum suum, inveniunt suave epulum. Sed cur justum odit peccator, cum ex illo non nutriatur? Nimirum ex duplici causa existit antipathia inter animantia: primo, ex appetitu cibi convenientis, uti in lupis erga oves, in felibus erga mures, in canibus erga lepores, etc. secundo, ex mero odio et naturæ contrarietate, uti inter hyænam et pantheram, inter serpentem et hominem, etc. Atque ex hoc capite peccator odit justum. Lupus invadit ovem, quia ovis ei suavis cibus est; peccator vero justum quia justus ei insuavis est. Ita enim loquuntur impii, Sap. II. *Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis* (Septuaginta volunt: *Quia insuavis est nobis*). Ovis inter lupos erat Joseph inter decem fratres, summo habitus odio, indeque eorum manibus hostiliter apprehensus, veste sua nudatus, et in cisternam projectus, posteaque venditus. Quid commisit hæc ovicula simplicissima et innocentissima, ut tam crudeliter vexaretur? Nimirum suis fratribus insuavis erat cibus, quia nimirum difformis et contrarius illis. Quod Josepho contigit, contingit et aliis justis. Causas nunc videamus.

I. Oderunt Josephum et persecuti sunt fratres ejus, quia habuit *vestem polymitam* seu diversicolorem, distinctam a fratrum vestibus. Hinc oderunt mali bonos, quia sunt eis in moribus dissimiles; mali enim mundanos, boni cœlestes habent mores. Illi delectantur ambitione, avaritia, gula, libidine; hi vero humilitate, paupertate, sobrietate, castitate. Hanc allegant causam impii, Sap. II. *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Pupugit vestis ita multicolor Josephi, quàm fecit ei patet oculos fratrum, fuitque semen primum odii fraterni: unde tandem eam misero detraxerunt, et hirci sanguine tinxerunt atque cruentarunt. Pungit etiam improbos sancta et variis virtuti-

bus splendens vita piorum: quare etiam adlaborant, aut certe desiderant, ut ea ipsis detrahatur, et foetido hircorum ac peccatorum cruore defœdetur ac collutuletur, quo nimirum sibi similes fiant. At dum virtuosos reprobis resistunt, et virtutes tuentur suas: hinc illorum odium et persecutiones incurrunt. Cur enim pugnent frigida in calida, et calida in frigida, nisi quia habent contrarias qualitates: et quia calidum cupit sibi assimilare frigidum, hoc autem ei resistit: similiter et calidum resistit frigido, ab ipso impugnatum; hinc dissidium et pugna inter utrumque. Vidit hoc et Cic. lib. de amicitia post med. ita scribens: « Disparis mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissonat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt.» Cupiunt pii malos ad bonam frugem reducere, isti se opponunt: desiderant et mali pios pervertere, ut sibi similes reddant, pii resistunt: hinc odium sustinent et persecutionem. Ac licet boni taceant, nihilque omnino moliantur in malos, ipsa tamen eorum vita tacite redarguit corruptos horum mores, ideo vel aspectus eorum malis intolerabilis, uti fatentur, Sap. II. *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Hanc ob causam Nero ille pessimus, quod Thræseæ Senæ, optimi venerabilem ferre speciem nequiret, e medio eum sustulit, uti refert Tacitus, l. XVI. annal. Hinc factum ut Jacob in domo patris sui juxta fratrem Esau, sibi infensum persistere non posset, sed exulare cogeretur, quia vel aspectus ejus gravis alteri fuit, adeo ut necem ei intentaret, Gen. XXVII. *Nam iniquitatis filii,* inquit Cyrillus Alexand. l. X. in Genes. *cum clarorum hominum virtutem, reprehensionem quoviammodo suæ pravitatis existiment, veluti immanes quædam feræ in eos crudeliter ruunt.* Esau uti corpore pilosus et hispidus, ita corde et animo quoque erat asper et horridus, ferus et improbus: Jacob e contra levis corpore, et suavis moribus, mitis et innocens. Esau venator foris agebat, et per silvas vagabatur: Jacob domi cum parentibus persistens ad seipsum et salutem suam attendebat: hinc fratri exosus et sudes erat in oculis.

II. Quia *accusavit* fratres suos *de crimine pessimo*, Gen. XXXVII. *Credendum est,* inquit S. Thomas, II. II. q. XXXIII. art. XXXVII. ad II. *quod fratres suos quandoque admonuerit, licet id non sit scriptum.* Idem sentit eo loco Abulensis. Quamquam ea præmonitio non videtur fuisse necessaria, tum quia patri rem denuntiavit, cuius erat nosse delicta filiorum; eum quia velut frater minimus sexdecim annorum, minime auditis fuisset. Altera hæc causa est odii et persecutionis malorum in bonis; quia illorum scelera isti redarguunt et accusant. quod etiam fatentur

improbi. Sap. c. II. ait: *Circumveniamus justum, quoniam impropere nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Non ferunt vesperitiliones lucem, nec scabiosa capita pectinem amant. Unde Amos, cap. V. ait: *Odiu habuerunt corripientem in porta* (prophetam prædicantem vel judicem corripientem) *et loquentem perfecte abominati sunt.* Quia, ut ait S. Gregorius, XVI. moral. c. 1. *Arrogantes sicut instantur laudibus, ita inflamantur correptionibus;* quo modo tigrides efferantur ad tympanorum sonitum, apud Plut. de superstit. sic efferatus ad prædicationem Jeremiæ Phassur, coniecit eum in carcerem, quod minaces ejus prophetias ferre non posset, Jer. XX. sic Herod. ad increpationem Joan. inclusum in carcere decollari jussit, Matth. VI. Herodias quoque ob eandem causam caput ejus petiit: Saul ad filiam Jonathæ admonitionem, ne persequeretur innocentem David, ira inflammatus lanceam arripuit, ut configeret eum, 1. Reg. XX. Denique, quæ causa est, cur agricolæ illi, quibus in parabola Dominus commissam dixit ab herô suo vineam colendam, tam crudeles fuerint in servos domini sui ad se missos, ita ut alium cæderent, alium occiderent, alium lapidarent? Matth. XXI. Non alia nisi quia servi illi suo domino fideles, exegerunt a vinicolis fructus hero debitos; qui autem pendere eos debebant, erant hero infideles, adeoque fructum a se exigere noluerunt. Hoc est quod agunt justi: instant, urgent reprobos, ut Deo suo præstent debita obsequia. At hic clamor offendit aures improborum: hinc in eos sæviunt, et bilem suam effundunt. At quam hoc indignum! Quid enim nisi charitas pios exstimulat, ut dehorrentur a malo reprobos, et incitent ad bonum? Miratur id apost. in Galatis, c. IV. *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Quis enim non amet veritatem, cum sit animæ cibus unice desideratus? Quis nisi insanus aut phreneticus medicum invadit verberibus, curam sibi adhibentem? Tales itaque non tam homines quam dæmones esse videntur, juxta id Eccl. XXI. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris,* hoc est, dæmonis, maximi peccatoris, ut exponit Sanctius, in 1. Reg. c. XV. Optime Clem. Alex. l. 1. pædag. c. IX. « Speculum, inquit, non est malum deformi, eo quod ipsum deforme ostendat, qualis sit, ita nec is, qui reprehendit, ei male vult qui laborat animo, nec enim ei delicta adjungit, sed ea quæ adsunt peccata, ostendit.

III. Quia *plus cunctis filiis a patre amabatur;* quod ex variis iudiciis observarunt fratres. Eandem odii sui causam allegant impii, Sap. III. ait. quia scilicet *glorietur patrem se habere Deum,* sibi scilicet faventem et benevolum: et paulo superius: *Filium Dei nominat.* Vident nimirum

reprobi justos Deo cordi esse, et defendi plerumque ab insidiis, sæpe etiam glorificari in hoc sæculo, tendere magnis passibus ad beatitudinem et patriam cœlestem: vident eorum virtutes et sanctitatem, se vero humi repere, et vitiorum cœno immersos nunquam emergere, adeoque deorsum semper ad vitia propendere, et ad inferos pergere: hinc persequuntur illos ex invidia. Ex hoc fonte profluit odium dæmonum in homines, quia vident gloriæ sedes in cœlo sibi aliquando, si perstitissent in gratia, destinatas jam occupari ab hominibus. Unde S. Antonius vidit aliquando dæmonem gigantis speciei usque ad nubes caput attollentem, animasque ad cœlum evolantes manibus extensis prohibentem ne transirent, et dolentem maxime, quod aliqua, quas non poterat impedire, ad cœlestia transvolarent, Athanasius, in vita, cap. XXXVIII. S. Adelgundis vidit eundem dire plorantem, et sortem suam lamentantem, quod illuc Adæ filios ascendere conspiceret, unde ipse cum suis semper exulare cogebatur, in vita 30. jan. Testem hujus odii habemus S. Gregorium, qui lib. V. moral. c. V. ait: *Hostis callidus primo homini invidendo surrepsit, quoniam amissa beatitudine minorem se immortalitate illius agnovit.* Ex eodem fonte manavit odium et parricidium Caini, ut ibidem subdit S. Gregorius: « Et Cain ad perpetrandum fratricidium corrui: quia despecto suo sacrificio prælatum sibi infremuit, ejus Deus hostiam accepit; et quem meliorem se esse exhorruit, ne utcumque esset, amputavit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit: quia primogenitorum benedictione perdita (quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat) minorem se eo esse, quem nascendo præibat, ingenuit. Hinc fratres Josephi transeuntibus Ismaelitis ipsum vendiderunt: quia cognito revelationis mysterio, ne ipsis fieret ille melior, ejus profectibus obviare conati sunt. Hinc denique Saul Davidem, lanceam intorquendo prosequitur; quem enim augeri quotidie virtutum successibus sensit, ultra se exrescere expavit. » Huc denique spectat frater prodigi filii, qui ob receptum a patre filium, seipsum gaudio et convivio privat, et dolore cruciat, Luc. XV. Sed quæ hæc est stultitia, ex alterius bono sibi ipsi virgam plectere, et verbera infligere! Optime ergo Jacob de invidia filiorum suorum erga Josephum dixit: *Fera pessima devoravit eum, bestia comedit Joseph,* Gen. XXXVII. Vere feræ pessimæ sunt invidi, quia de illis scriptum est, Ps. XIII. *Devorant plebem meam sicut eseam panis.* In quem locum S. Chrysostomus, to. 1. in Psal. illum: « Qui propter invidiam, inquit, mortem fidelium esuriunt. Et non dixit comedentes, sed devorantes aut exedentes, feris crudeliores. Feræ etiam cum